

P. R A M I

designavi, ubi auditoria professionibus variis separētur, domicilia doctōrib. & discipulis regiæ liberalitatis alumnis assignentur: vectigal tantæ fundationi congruens, ærarium tuum nihil exhauriet: verbo vno, eoq; omnium verborum, quæ humana voce vnquam prolata sunt, justissimo sanctissimoque: verbo, inquam, vno hæc omnia tantum tibi constabunt. Dicā tamen de impensis quod sentio, apud animum ut largissimum liberalissimumque, ita largitionis & liberalitatis fructu dignissimum. Mortales liberi mortalem, immortales immortalem gloriam memoriamq; parentibus adferunt, ait Plato: nec ob humanos liberos unquam vel templa, vel sacra cuiquam facta sunt: At cōtrā Lycurgus Lacedæmone colitur, propter leges Spartæ & universæ Græciæ servatrices. Honoratur & Athenis Solon propter talem legū partem: Cosmo Laurentioque ab invidis multa detracta sunt: at par-ta é recte factis, id est immortalibus liberis gloria detrahi nō potuit, quin corporibus extinctis, in intimis suorum civium pectoribus liberales erga patriam beneficique vivis animis perpetuó versentur. Hierosolymorum regnum jampridem defloruit: at heroicum Gotthofredi regnum in animis hominum sempiterna gloria florebit. Quid igitur substructiones illæ, quas ingenti hominum fama atque admiratione ædificas, quandiu Catharinæ Mediceæ futuræ sunt? Hæredem certé nomine, quin animo fortasse longé differentem non ita multó post accipient: Et si tua, quandiu per naturā queāt, futura sint, tamen marmora muta surdāque erunt: At nostra hæc, quandiu Francorum regum statu incolumi parisiensis academia steterit, Catharinæ Mediceæ & erunt & appellabuntur, beneficentiāq; tuam gratissimis animis præ se ferent,

rent,